



Robertus Bavariae dux & Rheni Palatinus filius fuit Roberti Palatini, & Beatricis filiae Friderici regis Siciliae. Ab ijs in omnis generis uirtutibus educatus, princeps optimae indolis at staturae paruae euasit. Itaque morienti patri in Rhenensi Palatinatu & dignitate electorali successit. Erat autem tum Vuenzeslaus Boemus Caesar, cuius ignauia & foecordia factum, ut Imperium per Germaniam & Italiam mirum in modum laceraretur. Id cum Robertus uir magna animi dexteritate praeditus egerime ferret, ut nascenti malo tempestiue occurreret, Imperij principes ad publica comitia conuocat. Itaque Franckofurti anno millesimo quadringentesimo

deliberatione habita Vuencelaus Imperio deponitur, atque in eius locum Fridericus dux Brunswicensis ordinatur. Cum autem is insidijs Moguntini praesulis in reditu tolleretur, principes denuo conuenientes hunc Robertum Caesarem denunciant. Erat enim armis exercitissimus, atque insignis iustitiae cultor. Vnde Bonifacius 9 pontifex id factum approbauit. Cum autem Aquigranum pergerent principes, ut Robertus coronam acciperet, ciues obstiterunt, dicentes, sese nondum a iuramento Vuenceslao praestito liberatos esse. Idcirco Fridericus Coloniensis praesul Robertum Coloniae regio diademate insigniuit.